

do & cerebrum laedentes, & naturam extinguentes, aut saltem inutilem reddentes. Quae est ingens insipientia & ignorantia christianaе vitae & fidei, velle sine fide per opera iustificari & saluari.

§. XLVI. Vt autem ea, quae diximus, facilius capiantur, similitudinibus ea monstremus. debent opera hominis Christiani per fidem suam ex mera gratuitaque misericordia Dei iustificati & saluati, non alio loco haberi, quam opera fuissent *Adae & Heuae* in paradiso, & omnium filiorum, si non peccassent, de quibus Gen. II. dicitur: *Posuit Deus hominem, quem formauerat, in paradisum, ut operaretur & custodiret illum.* At Adam erat iustus & rectus a Deo creatus, sineque peccato, ita vt per suam operationem & custodiam non opus habuisset iustificari & rectus fieri. Sed ne ociosus iret, dedit ei Dominus negotium, vt paradisum coleret & seruaret. Quae fuissent opera vere *liberrima*, nullius gratia facta, nisi beneplaciti diuini, non ad iustitiam obtinendam, quam iam habebat plene, quae & congenita fuisset nobis omnibus.

Ita & credentis hominis opera, qui per fidem suam de nouo repositus est in paradisum & de nouo recreatus, non eget operibus, vt iustus fiat, aut sit, sed ne ociosus sit, & corpus suum operetur & seruet, sunt *ei* opera eiusmodi *libertatis*, solum intuitu beneplaciti diuini facienda; *nisi quod* nondum plene recreati sumus perfecta fide & caritate, quos augeri oportet, non tamen per opera, sed per seipsas. (§. LVI. LXVII.)

§. XLVII. Aliud simile. Episcopus sacer templum consecrans, pueros confirmans, aut aliud quidpiam officii sui faciens, non consecratur iis *ipsis* operibus in Episcopum, imo nisi antea esset consecratus Episcopus, nullum istorum operum quidquam valeret, essentque stulta & puerilia & ludicra. Ita Christianus, per fidem suam consecratus, bona facit opera, sed non per haec magis sacer aut Christianus efficitur. Hoc enim solius fidei est, imo nisi antecederet & Christianus *esset*,
ni-